

fectiores et breui effoetae, propterea quod illarum organa haematopoeia melius valent, digestioque tunc etiam naturae legibus convenientior, materiam suppeditat talem, e qua iterum blandus parari potest sanguis. Neque vero minus cauti ac prouidi esse debemus in venaefectione grauidis imperanda, propterea quod pleraeque feminae ad sanguinis conspectum toto fere corpore soleant contremiscere, atque animo linqui. Cuius quidem ingenii femellis, nisi summa vrgeat necessitas, sanguis detrahatur nullus. Denique prius, quam venaefectionem imperamus, etiam ad gestationis tempus respiciendum est. Illud enim aequae nostram meretur tunc animi attentionem, ac locus, vnde sanguis emittatur, et copia, quam detrahi volumus. Quod ad tempus attinet, quo venaeffectio suscipienda est, medicorum consilia et opiniones inter se magnopere differunt. Nunc enim celebrant eam, quae primis instituitur grauiditatis mensibus, eo consilio, vt neruorum sensibilitas vel potius irritatio minuatur; nunc media gestatione venam aperiendam esse asserunt, vt sanguinis abundantia, quae tunc temporis grauidis molestissima esse solet, imminuatur; nunc denique sub grauiditatis finem sanguini e vena exitum pandere fatius esse ducunt, quoniam aut varices, haemorrhagiae, humorum stagnationes, eo modo optime praecauentur, praesentiaue curentur, aut partus acceleretur faciliorque reddatur. Equidem, si meam liceret inter ponere sententiam, venaefectionem primis grauiditatis mensibus, sanguinis aestum imminuendi gratia, instituendam curarem: quippe cum menstruus fluxus vt plurimum isto tempore supprimatur, quo tenuis foetus minima tantum huius sanguinis quantitate ad nutritionem augmentumque pusilli corporis sui indiget, humores inde magnopere aucti vasa distendunt, et ad spongiosa viscera, quo pulmones et uterus pertinent, maximo impetu feruntur, vnde sanguinis sputum et praematura foetus exclusio saepissime euenit. Hinc facile est ad explicandum, qui fiat, vt plurimi abortus ante tertii mensis finem obseruentur.

Ostensa igitur sanguinis primo grauiditatis tempore detrahendi necessitate, vel utilitate saltem, definienda quoque erit eiusdem copia, ne in re bona ac laudabili extra oleas vagantes, magis nocē-